



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Acta Ecclesiae Mediolanensis**

Actorvm Ecclesiae Mediolanensis, Pars Tertia - In Qva, Liber Memorialis Ad  
populum Ciuitatis, & Dioecesis Mediolanensis, A Beato Carolo Borromaeo  
Titvli Sanctae Praxedis compositus continetur

**Borromeo, Carlo**

**Brixiae, 1603**

Formula dispensationis super matrimonio iam contracto ab aliquod  
impedimentum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10502**

Parochiæ, & N. Parochiæ N. ex præcepto Conc. Tridentini, neque vllum delatum esse impedimentum, quin ad celebrationem matrimonij ritè procedere liceat.

Prima publicatio facta fuit die N. Mensis N. die Dominico, vel festo; secunda die N. tertia die N.

Quæ attestationes asseruari debent a Parochis illas recipientibus, & in notalam redigi.

Dispensatio super matrimonio iam contracto, ob aliquod impedimentum.

**C**arolus &c. Dilectis nobis in Christo salutem in Domino. Oblatæ nobis nuper pro parte vestra petitionis series continebat, aliàs vos . . . coniunctos esse, inuicem matrimonium contraxisse, illudque postea consummasse, in eodemque, sic contracto matrimonio legitime viuere cupere; quia si matrimonium inter vos non sequeretur, grauius exinde scandala, & alia incommoda in animarum vestrarum periculum possent verisimiliter exoriri, tuque . . . perpetuò diffamata, & forsan innupta remaneres. Verùm cum desiderium hoc vestrum adimplere non possitis absque sedis Apostolicæ dispensatione, propterea nobis humiliter supplicari fecistis, vt vobis in præmissis de absolutionis beneficio, ac dispensationis gratia, auctoritate Apostolica nobis in hac parte concessa, prout ex literis Sanctissimi Domini Nostri Papæ N. ad nos hac de re scriptis, opportunè prouidere digneremur. Nos igitur saluti animarum vestrarum consulere volentes, præmissis ex causis animum nostrum mouentibus, seu aliàs omni meliori modo, cum . . . propter hoc ab aliquo raptà non fueris, auctoritate Apostolica, qua fungimur in hac parte, vos a quibuscumque excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque canonicis sententijs, censuris, & pœnis, a iure vel ab homine, quauis occasione vel causa latis, quibus quomodolibet ob incestus reatum & excessus huiusmodi innodati for-

Pars III.

san existitis, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absoluius, & liberamus, iniuncta vobis salutari penitentia . . . quæ peracta, vt impedimento . . . gradus huiusmodi, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrarijs nequaquam obstantibus, matrimonium inter vos publicè, videlicet coram proprio parochio, & duobus vel tribus testibus in Ecclesia, ommissis etià denunciationibus (quas hac vice ex gratia speciali remittimus) contrahere, & in eo postmodum remanere liberè & licitè possitis & valeatis, auctoritate Apostolica harum literarum serie dispensamus. Distantiam verò . . . gradus prædicti vobis non obstare declarantes. Prolem susceptam, si quæ sit, & suscipiendam, legitimam nunciando. In quorum fidem præsentem manu nostra signatas, & per infrascriptum Cellarium nostrum subscriptas, sigilloque nostro munitas fieri iussimus.

Datum. &c.  
Formula interdicendi Nuptias.

**V**T omnes intelligant, quibus sacris temporibus a nuptijs abstinendum sit, ac præterea frequentiori orationis studio, quod dierum celebritas, & mysterium postulant, vigilantius incumbendum: Nuptiarum interdictionem sacri Tridentini Concilij decretis firmatam vobis enunciamus: quæ videlicet a prima Dominica Auentus vsque ad Epiphaniarum diem, & a Dominica in Capite Quadragesimæ vsque ad octauam Paschatis inclusivè perdurabit. Exemplo quoque veterum fidelium vos etiam atque etiam hortor, vt statis Ecclesiæ ieiunijs præsertim solenniura quatuor temporum a Nuptiarum celebritate abstineatis; si enim coniuges Apostolus monet, vt tum, cum oratione & ieiunijs vacandum est, a matrimonij vsu abstineant, æquissimum erit, & cum sancta disciplina consentiens, eos, illo vel breuissimo tempore a nouo coniugio ineundo se continere.

O 3 For-